

55

V. TICHTENOVSKI
V. P. L. MAECKE



0011

acta Nr. 411.

1) Henningius, N.

2) - 3) Schnecken

4) Defensio

7

K.V. 53.

EXEGEMA
COLLATIO
NIS NICOLAI SELNEC
CERI CVM THEOLOGIS VVITE
bergensibus 28. Iulij, Anno 1570.
VVitebergæ institutæ.

1. De unione personali duarum naturarum in Christo.
2. De idiomatum communicatione.
3. De Coena Domini.

QVA MANIFESTE DOCETVR,
Academiae & Ecclesiae VVitebergensis Doctores &
Professores, doctrinam DD. Lutheri constanter
retinere, & cum omnibus recte sen-
tientibus & docentibus Eccle-
siae piis & sanctum con-
sensum tueri.



VVOLFENBYTEL.

M. D. LXX.

DE VNIONE

PERSONALI: IDIOMATUM COMMUNICATIONE, ET
de doctrina Coene Dominiæ.

I.



Chalcedonensis,
Quarte
Oecumenice,
synodi
uerba.

Nio duarum in Christo naturarum, diuine, siue aeternæ, & humane certo tempore assumptæ, facta est sine naturarum negatione, aut permutatione, aut confusione, siue, ut ueteres contra Nestorium & Eutichen locuti sunt, Dominus noster IESVS Christus perfectus est in deitate, & perfectus in humanitate, uerè Deus, & uerè homo, qui anima ratione prädita & corpore constat, ὁμοῦσιος, συαίδι, ἢ ὁμότιμος Patri ab aeterno secundum diuinitatem, & nobis ὁμοῦσιος, & similis per omnia, sine peccato: unus & idem agnitus in duabus naturis ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως ἢ ἀχωρίως, id est, sine confusione, permutatione, distractione, & separatione, seruatim proprietatibus nature utriusque, & in unam ὑπόστασιν siue personam concurrentibus.

A 2

Cyrillus

Cyrillus :

Si quis in Christo diuidens ὑποστάσεως post unionem, & dicens, λόγος coniunctum fuisse homini societate seu potestate, non naturali unione, anathema sit.

Imperator Iustinianus Augustus VIII.

Credentes in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, unam essentiam in tribus personis adoramus, unam diuinitatem, unam potentiam, Trinitatem ὁμοῦς ὁσίου. In extremis autem diebus confitemur unigenitum Dei Filium, ex Deo Deum, ante secula & ἀρχόντως siue sine tempore ex Patre genitum, coeternum Patri, ex quo omnia, & per quem omnia, descendisse de caelis, & incarnatum ex Spiritu sancto, & ex beata atq; gloriosa semper uirgine Maria, hominem factum, & crucifixum, sepultum esse, & die tertio exurrexisse: unius & eiusdem miracula & passionem, quas sponte in carne sustinuit agnoscentes. Non enim alium DEVM VERBUM, & alium CHRISTVM cognoscimus, sed unum & eundem ὁμοῦς ὁσίου patri secundum diuinitatem, eundemq; ὁμοῦς ὁσίου nobis secundum humanitatem. Trinitas enim permansit Trinitas, etiam incarnato uno ē Trinitate DEI VERBO. Neq; enim quarte personae

Χάριτι καὶ
δικαιοσύνη
τῆ πρός
τὸν θεὸν
λόγον.

ne acceptionem Sancta Trinitas admittit. Quae cum
ita se habeant, anathemate et execratione summa om-
nem haeresin condemnamus, tum uero uel maxime Ne-
storium ἀνθρώπου λάτρη, id est, hominis cultorem et
adoratorem, qui unum Dominum nostrum IESVM
Christum, Filium Dei, et Deum nostrum, diuidit atque
distrabit, neque proprie et conuenienter ueritati, san-
ctam, gloriosam, semper uirginem Mariam, Deipa-
ram confitetur, sed alium quidem Deum VERBUM
ex Deo Patre appellantem, alium autem eum, qui na-
tus sit ex sancta semper uirgine Maria, qui SE-
CUNDVM GRATIAM ET FAMILI-
ARITATEM ad Deum VERBUM Deus fa-
ctus sit: Nec non amentem illum Euticheten, uanas quas-
dam opiniones inducentem, et negantem ex sancta sem-
per uirgine et Deipara Maria ueram incarnationem,
hoc est, salutem nostram: neque confitentem ὅτι πάντα
ὁμοούσιον Patri secundum diuinitatem, et ὁμοούσιον
nobis secundum humanitatem. Item Apollinarium
illum ψυχοφθόρον, id est, animam humanam Christo
adimentem, et dicentem, Dominum nostrum IESVM
Christum Filium Dei, et Deum nostrum, mentis hu-
manae expertem esse et confusionem aut commixtio-
nem, φερμόν, incarnationi unigeniti Filij Dei in-
troducens. Denique omnes eos, qui illorum
opinionem secuti sunt, aut adhuc sequendam putant,
etc.

EX

Ex doctrina De Vnione Hypostatica, orta est doctrina de Communicatione Idiomatum utriusq; nature, quam περιχώρησις & ἀντίδοσις nominârunt, & quæ regiâ & mediâ uîâ incedens utrunq; prohibet, confusionem scilicet naturarum, quam Eutiches Archimandrita finxit, & personæ diuisionem, qualem Nestoriani introduxerunt.

Lutherus de Nouissimis uerbis Davidis :

Sciendum est, quòd sicut ambæ nature in una persona Filij Dei copulatæ seu unitæ sunt: ita etiam uocabula in sermone & formis loquendi in Ecclesia receptis, quæ tribuuntur naturis, seu, ut uulgò uocantur, predicata, conueniunt & quasi copulantur cum ijs, quæ de integra persona dicuntur: quas formas loquendi usitatè uocant, Communicationem Idiomatum, siue proprietatum, hoc est, cum id, quod est proprium alteri nature, & de ea seorsim in abstracto dicitur, tamen in concreto tribuitur toti persone, &c.

Contra con-
fusionem na-
turarum in
Christo te-
nenda hæc
sunt :

1. Due in Christo nato ex uirgine Maria sunt nature, diuina & humana, & Christus est uerus Deus & homo, θεάνθρωπος, Emanuel.
2. Vtraq; natura retinet suas proprietates, nec facienda est confusio uel naturarum, uel idiomatum, neq; etiam exequatio.
3. Verè natura humana est, non spectrum, assumta à λόγῳ, & hæc assumta natura non est illa ipsa æterna natura τὸ λόγῳ.
4. Humana natura in Christo non est absorpta à diuina, nec est diffusa in totum uniuersum cum diuinitate, quasi iam amplius non sint uerè due nature, sed tantum sit una natura, & eadem utriusq; nature proprietas.

Thesau.
lib. 10. ca.
2. 3. 7.

Cyrillus :

Quando humano more aliquid de se ipso Christus dicit, quod alienum à deitate ipsius uideatur, carnì id ipsum accommodare debemus. Sic enim singula facta & dicta congruè distribuentes, à uera cognitione Saluatoris nostri non aberrabimus. Debemus, quæ DEO
uero

uero conueniunt, diuinitati Christi: quæ uero homi-
 ni humilitati nostræ, quam propter nos assumfit, as-
 scribere. Et iterum: Quæ Deo conueniunt dicta &
 facta, Deum uerum esse demonstrant: quæ autem homi-
 ni, uerum hominem. Et: Mortale corpus assumfit,
 omnibus passionibus naturæ nostræ subiectum, peccato
 semper longè remoto. Conuenienter igitur quoniam
 idem homo uerus, & Deus uerus est, hominis passiones
 sibi attribuit propter personalem unionem. Sic dici-
 mus etiam Deum passum & crucifixum, mortuum &
 sepultum: quæ omnia ut homini ipsi, non ut VERBO
 Dei attribuuntur. Rursum: Quæ de Christo scri-
 buntur, intelligenda sunt ita, ut nec quæ deitati conue-
 niunt, humanitati eius attribuuntur, nec quæ huma-
 nitatis propria sunt, ad deitatem ipsius distorqueantur

Contra di-
 uulsionē per-
 sonæ, siue na-
 turarum in
 Christo, tenē-
 da hæc sunt.

1. Omnis spiritus, qui soluit Chri-
 stum, non est ex Deo, 1. Ioh. 4.
2. Κοινὰ τῶ ἀποστόλων γέγονε τὸ
 τῶν φύσεων ἰδιᾶ: id est, Commu-
 nicatio idiomatum fit in concreto,
 non in abstracto.
3. Nomina concreta designant in-
 tegram personam subsistentem in
 utraq; natura, non designant alte-
 ram tantummodo naturam.
4. Actiones & passiones non sunt
 naturarum tantum, sed sunt personæ.

A 4

Commu-

Communicatio idiomatum nec uerbalis siue tantum Dialectica forma loquendi est, nec realis illa Physica, siue Eutyhetica & Stenckfeldiana, quæ est confusio naturarum & idiomatum, sed est uera κοινωνία proprietatum in persona, quæ est Deus & homo, quæ κοινωνία fit sine naturarum & proprietatum exæquatione, alteratione, aut permutatione, & confusione.

Si quis autem uocem, Realis, reale, realiter, opponat imaginario, ficto, aut ei, quod reuera non sit, & non fiat, aut quod sit tantum nuda loquendi forma, & titulus sine re, is rectè sentit, & reprehendi nequit.

Hic queritur de maiestate, & gloria humane nature in Christo collocatæ ad dexteram Patris omnipotentis, & euectæ supra omnes cætos, &c.

Luth. de nouis. uerbis Daudis :

Christo etiam secundum temporalem & humanam generationem data est **AETERNAPOTESTAS DEI**, sed certo tempore, non ab æterno. Humanitas enim Christi non fuit ab æterno, sicut diuinitas. Ex eo autem momento, quo diuinitas & humanitas sunt unitæ in una persona, est & nominatur homo

mo ille *Mariæ Filius, Omnipotens æternus DEVS,*
qui habet æternam potestatem, & qui omnia creauit,
& sustentat, scilicet, per communicationem idioma-
tum, quia cum diuinitate est una persona, & etiam ue-
rus Deus. Ideo inquit: *Omne mihi datum est à patre.*
Et: Omnis potestas in cœlo & in terra mihi data est:
Mihi, uidelicet, IESV Nazareno, Mariæ Filio, ho-
mini nato. Ab æterno habeo illam potestatem à Patre,
antequàm homo nascerer. Sed factus homo accepi eam
temporaliter secundum humanitatem, & eam occul-
tavi usq; ad meam resurrectionem, & ascensionem, in
qua illa patefacienda erat. Hæc Lutherus.

Cyrillus :

Diuinæ naturæ in Christo nunc post incarnati-
onem tribuitur opus creationis non sine carne, id est,
illi diuinitati tribuitur, quæ cum suscepta carne una
iam est persona, & ita tribuitur personæ.

Idem: Unigeniti DEI corpus existens, om-
niã humana transcendit.

Basilius de Spiritu Sancto :

τὸ δέξιον οὐ τὴν κάτω χώραν δικλοῖ, ὡς δ
τὸ πῶρ λόγῳ, ἀλλὰ τὴν πρὸς τὸ ἴσον χεῖρ. Et
lib. 4. contra Eunomium: Deus exaltauit illum, &
dedit ei nomen, quod est super omne nomen, ut in nomi-
ne IESV omne genu flectatur. De humanitate hæc
intelligenda sunt, non de diuinitate. A. 5 Bernu

Berphardus Sermone 2. de Ascensione Christi:

Christus cum per naturam diuinitatis non haberet, quo cresceret uel ascenderet, quia ultra Deum nihil est, per descensum, quomodo cresceret, inuenit, ueniens incarnari, pati, mori, ne moreremur in æternum: propter quod DEVS exaltauit illum, quia resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram DEI.

Sic antiquitas etiam locuta est, ut ex epistolis & Decretis Leonis I. contra Nestorium & Eutychem constat: Diuina in Christo natura habet contumeliam siue ignominiam ex humana natura assumpta, sed uicissim humana in Christo natura habet gloriam & maiestatem à diuina natura.

Sedet igitur Christus à dextris Dei Patris omnipotentis, id est, regnat diuina & equali potentia & maiestate cum DEO, DEVS & homo, cum ei etiam secundum humanam naturam data sit omnis potestas in cælo & in terra. Nam secundum diuinam naturam habuit illam potestatem ab æterno. Nunc autem noua deliberatione (quæ in Psal. 110. expressa est Dixit Dominus Domino meo) Deus Pater ipsum effert in summam sublimitatem, & collocat eum ad dexteram suæ maiestatis & uirtutis, non tantum secundum diuinam Christi naturam, quæ antea gloriam illam ab æterno in æternum obinuit & obtinet, uerum secundum humanitatem, ita, ut iam ipse Filius DEI, Deus

Deus & homo sedeat ad dexteram Omnipotentis Dei,
subiectis sibi angelis, potestatibus & uirtutibus, tum
in cœlestibus super omnem principatum, potestatem,
dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non
solum in hoc, sed in futuro seculo, tum in terrenis, cum
omnia subiecta sint pedibus eius, & data sit ei pote-
stas in cœlo & in terra.

Etsi autem æterna Christi omnipotentia idioma
est essentiale diuinæ in Christo naturæ, quod nunquam
ita communicatur, ut fiat idioma humanæ naturæ, ne
fiat confusio naturarum & idiomatum, qualem sinxe-
runt Eutyches, Stenckfeldius, Monotheletæ etiam, &
Antitrinitarij nostræ ætatis, qua ratione etiam scimus
nullum idioma communicari: tamen humanæ naturæ
in unam personam Christi assumptæ & glorificatæ ac-
cessit maiestas & gloria ea, de qua Paulus inquit:
Datum est ei nomen supra omne nomen. Ea autem
gloria & maiestas non est quiddam medium aut terti-
um inter omnium angelorum & hominum gloriam si-
ue beatitudinem & potentiam, & inter Dei omni-
potentiam, sed est $\omega\tilde{\alpha}\sigma\alpha\ \epsilon\tilde{\xi}\delta\sigma\iota\acute{\alpha}$ supra omnes principa-
tus, potestates, & dominationes, quia non sunt due na-
turæ omnipotentes, sed unus omnipotens. Ita q̄ omni-
potentiæ, omniscientiæ, & reliquæ proprietates com-
petunt quidem humanæ naturæ in Christo assumptæ &
diuina, & collocatæ ad dexteram æterni Patris, sed
non sui ipsius, sed eius naturæ respectu, cum qua in
unam

unam & eandem personam est unita, nempe respectu
& beneficio siue gratia diuina.

Nonnulli dixerunt: Christi corpus finitum, esse
potentiæ infinite, siue, ut rotundius dictum est, $\theta\upsilon\sigma\iota\kappa\acute{o}\nu$
 Θ $\pi\epsilon\rho\iota\gamma\alpha\pi\tau\omicron\rho$ $\sigma\acute{\omega}\mu\alpha$ $\tau\grave{\eta}$ $\chi\rho\iota\sigma\tau\acute{o}$ $\epsilon\iota\upsilon\alpha\iota$ $\alpha\pi\epsilon\rho\iota\gamma\mu\acute{\alpha}\tau\omicron\varsigma$
 $\epsilon\grave{\xi}\delta\sigma\iota\alpha\varsigma$, $\alpha\gamma\epsilon\tau\eta\varsigma$ Δ $\delta\upsilon\omega\acute{\alpha}\mu\omega\varsigma$. Hoc rectè
& sine confusione idiomatum intellectum, rectè dici
potest. Infinita quidem potentia est idioma diuinae &
eternæ naturæ, & non fit idioma alterius naturæ, quæ
creata & assumpta est, sed est & manet essentialis pro-
prietas eternæ & increatæ naturæ. In persona au-
tem Christi Dei & hominis, humana natura supra
omnes cælos euecta, & collocata ad dexteram om-
nipotentis Dei, acquirit & habet potentiam omnem
superantem omnium angelorum & hominum potenti-
am, quæ potentia naturæ in Christo humanæ non po-
test à nobis definiri, aut certis limitibus & terminis
circumscribi, ideoq; rectè infinita dicitur, respectu
scilicet nostri, qui potentiam illam definire nec pos-
sumus, nec debemus, quandoquidem omnium creaturæ-
rum potentiam superat, & est & nominatur $\omega\acute{\alpha}\sigma\alpha$
 $\epsilon\grave{\xi}\delta\sigma\iota\alpha\varsigma$, omnis potestas.

V.

De ubiuitate quod queritur, tres regulas reti-
nemus. Prima est de tota Christi persona: Vbicunq;
Christus est, ibi est ipse Deus & homo. Christus ho-
mo est ubiq;, & est $\alpha\pi\epsilon\rho\iota\gamma\mu\acute{\alpha}\tau\omicron\varsigma$, ubiq; tamen retin-
tis

lis utriusq; nature proprietatibus. Secunda regula est: Christus cum sit omnipotens Deus, potest etiam corpore suo siue secundum humanam suam naturam esse in omnibus locis, ubicunq; uult esse, manente tamen salua, & inuiolata, non expansa, non diffusa, non diducta in infinitum, humana eius natura. Tertia regula: Verè ibi est corpus Christi, datur, & accipitur, ubicunq; illud ipse Christus esse uult, & quocunq; seipsum uerbo suo alligauit, ut in cœna, in qua ipse Christus Deus & homo omnipotens adest, & per manum ministri distribuit corpus & sanguinem suū uescentib. in cœna.

VI. De Cœna Domini confitemur, nos sentire, quod in illa uerè & substantialiter aſint corpus & sanguis Christi, & uerè cum illis rebus exhibeantur, quæ uidentur, pane & uino, omnibus ijs, qui Sacramentum, ut Ecclesie ciues & membra, accipiunt, idq; corporaliter, communicatione carnis Christi, non efficacia solum aut spiritali habitudine, quæ per fidem & caritatem intelligitur, sed secundum carnem siue participatione naturali, & substantiâ ueri corporis & ueri sanguinis Christi, ut in Apologia ex uerbo Dei, & ex Cyrillo copiosius dicitur. Improbamus etiam secus docentes, siue Sacramentarios, Cinglianos, siue Calvinianos nominemus.

Nicolaus Selneccerus D.S. in aula
Brunouicensi quæ est in VVol
ffenbytel, XIX. Augusti, 1570.

Leo

LEO Papa I. ad Clerum, & plebem
Constantinopolitanæ vrbis.

Dicant aduersarij ueritatis, quando omnipotens Pater, uel secundum quam naturam, Filium suum super uniuersa prouexerit? uel cui naturæ cuncta subiecerit? Deitas enim VERBI par in omnibus & ὁμοῦσι est Patri, atq; intemporaliter una eademq; potentia est Genitoris & Geniti. Creator quippe omnium naturarum, quoniam per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil, superest omnibus, quæ creauit, nec unquam Creatori suo non fuerunt non subiecta, quæ condidit, cui proprium & sempiternum est nec aliud, quàm de Patre, nec aliud esse, quàm Pater est. Huic si addita est potestas, si illustrata dignitas, si exaltata sublimitas, minor erat prouehente, qui creuit, nec habebat diuitias eius naturæ, cuius indignit largitate. Sed talia sentientem in societatem suam Arius rapit, cuius peruersitati multum hæc suffragatur impietas, &c.

**S. Iohan. Constantinopolita-
nus Episcopus.**


Quis ille est, qui audiuit, Sede ad dexteram meam? Que natura est, cui dixit, Esto mee participes sedis? illa natura, quæ audiuit, Terra es, & in terram ibis.

Leo

Leo:

Quicquid in tempore accepit Christus, secun-
dum hominem accepit, cui, quae non habuit, confer-
rentur. Nam secundum potentiam deitatis indiffe-
renter omnia, quae habet Pater, etiam Filius
habet: & quae in forma serui à Pa-
tre accepit, eadem in forma
Dei etiam ipse
donauit.






AB: 153055

(A 220 37 37)





Farbkarte #13

B.I.G.

EXEGEMA
COLLATIO
NIS NICOLAI SELNEC
CERI CVM THEOLOGIS VVITE
bergensibus 28. Iulij, Anno 1570.
VVitebergæ institute.

1. De unione personali duarum naturarum in Christo.
2. De idiomatum communicatione.
3. De Cœna Domini.

QVA MANIFESTE DOCETVR,
Academiæ & Ecclesiæ VVitebergensis Doctores &
Professores, doctrinam DD. Lutheri constanter
retinere, & cum omnibus rectè sen-
tientibus & docentibus Eccle-
sijs pium & sanctum con-
sensum tueri.



VVOLFENBYTEL.

M. D. LXX.

